

IACOBI VASTII ROSCII  
REGIEN. ORATIONES TRES  
AD SENATVM POPVLVMQVE  
REGIENSEM HABITAE.

- I De Reparatione Linguae Latinae.  
II De Armorum, & Literarum comparatione.  
III De publico Lectore conducendo.



PARMAE

Apud Seth Viottum Anno  
M D LVI.

BIBLIOTECA  
PATETTA


Op.  
Cinq.  
18

0703676493  
UNIVERSITÀ DI TORINO



JACOBI VASTIUS ROSSA  
REGIMENTI ONTARIO TERTII  
AD SPATIUM TORVIVONE  
REPERIENS HACTENUS

I. De R. ...  
II. De ...  
III. De ...



PARIS  
M. D. LXXI



2

IACOBVS VASTIVS ROSCIVS  
CAECILIO LANCEO VIRO  
OPTIMO ET CLARISSIMO. S P D.



OMPLVRES causæ Cæcili extiterunt, quæ me ut tres meas Oratiunculas publicis typis excudi curarem, impulerunt: sed illa tamen grauissima fuit, quæ uniuersæ huic Vrbi nota, & perspecta est: nam eam Orationem, quam de publico Lectore conducendo scripsi, & Ioannes Marius Vitellianus auditor, & discipulusq; noster publicè habuit, Ioannes Castellaranus uehementer contempsit; & nescio qua causa motus apud omnes, non solum ut tenuem, & indoctam damnauit, sed et iam maleuolentissimis, acerbissimisq; uerbis insequutus est: nos primùm id ægre non tulimus, & potuisse accidere existimauimus, ut noster aliquis error senis illius animaduersione deprehensus esset: difficile est enim ubique Lynceos oculos habere. & in eos errores non incurrere, quos ut in Poetice ait Horatius, Aut incuria fudit, aut humana parum cauit natura. Hac ego causa Castellarani officium laudabam: sed postquam rem cum eo contuli, hominem non officio, sed maleuolentia commotum, in meam Orationem inuectum animaduerti, quod perspicuis ei argumentis amice probauimus, ut igitur res hæc & controuersia omnibus pateret, operæ precium me facturum putauimus, si legendas omnibus Oratiunculas nostras tenues illas quidem, sed errorum omnium expertes, quos Castellaranus obiecit, proponerem: ille in sua Schola quotidie nos reprehendebat, & se in eo Pueris suis declamatorem acerrimum præbebat, nos autem semper adesse ad refellenda crimina non poteramus, nunc nostræ Orationes, quales ille uidit, nusquam immutata excusæ sunt, & nos iudices omnes homines adhibemus, exeat, qui nos accusat, & tenebras, ubi nos irridet, relinquat, in lucem, in palestram prodeat: neque enim ille Iudices doctos homines, qui hæc legent, respuere debet, te præsertim doctissime atque oratissime Cæcili, qui uirtutibus omnibus præditus, optimis literis illustris, acri iudicio pollens, facile rem totam perpendes, & me nulla alia causa, quam ut homini qui nos non amat, iniquè nos accusandi licentiam eriperem, Oratiunculas hæc nostras edidisse perspicies, quod ut pro tua singulari humanitate efficias, te uehementer oro, atque obtestor, nihil in me culpæ, sed ab

A ij



aduersario controuersæ causam profectam reperies, nos enim ij sumus, qui bonarum literarum studiosi alios earum esse studiosos facile patimur: sed tamen insolentissimorum hominum calumnias non ferendas censemus, cum insitum nobis innatumq; sit, ut ait Cicero pro Milone, uim atq; iniurias à nobis propulsare: te ego Cæcili, & doctos omnes uiros iudices elegi, qui causam hanc, quã uis tenuem apud occupatissimos homines, diligenter dispiciatis, & causæ meæ æquitatem, ut spero fore, uestris grauiissimis iudicijs comprobetis, quod si tu, unà cum alijs, feceris, ad meum mirificum in te amorem, atq; obseruantiam magna fiet accessio. Vale.

Regij Lepidi Idibus Februarij. M D LVI.



3

IACOBI VASTII ROSCII  
REGIENSIS, DE LINGVAE LATINAE  
REPARATIONE ORATIO AD REGIENSES.



**I**QUIS est ex hoc ornatissimorum  
hominum cœtu, qui huc frequentes  
ad me audiendum conuenerunt,  
Prætor, ac Iudex æquissimi, An-  
tiani clarissimi, Iurisconsulti gra-  
uissimi, Vosq; alij auditores optimi,  
qui miretur, quòd me hoc loco, qui doctissimis tantum uiris  
ad dicendū datus est, nunc uideat, eum ego etiam, atq; e-  
tiam rogo, atq; obtestor, ut pauca ante quàm me ulla di-  
gnum reprehensione iudicet, libenter, æquoq; animo au-  
diat; sic enim me neq; ambitione ulla, nec temeritate ad-  
ductum ad publicè hodie dicendum intelliget, sed boni uiri  
optimarumq; literarum studiosissimi partes, atq; officium  
secutum in hanc palæstrā prodijisse cognoscet. Ego enim  
apud uos hodie de linguae latinæ reparatione, & de ue-  
stris in eam meritis Regienses ornatissimi, dicturus sum,  
& in spem uenio omnino fore, ut mea uobis oratio gratif-  
sima sit, qui poliores literas semper coluistis, & contra  
barbariem pro lingua latina semper pugnaistis: nam quæ  
apud alias gentes lutulenta, & sordida lingua est, ea in  
hac urbe quorundam uirtute, de quibus audietis, luculentā  
& illustris habetur: quis igitur non facile confidat? eum,



qui de lingua latina dicat, apud uos libenter, & nullis  
hominibus aduersantibus audiri, & probari ob huiusce-  
modi consilium posse? qui eiusdem linguæ acerrimi uindi-  
ces, ac defensores, & propugnatores estis: si de inertia,  
de inuidia, de socordia dicere apud uos cōstituissem, essem  
explodendus, atque exsibilandus, qui hæc apud homines  
optimos, & uirtute præditos agerem: sed tamen quia se  
res aliter habet, hodiernæ meæ orationis causam, & cō-  
silium accipite. Cum omnium rerū memoriā, & Ma-  
ximorum Imperatorum res gestas, florentissimarūq; re-  
rum publicarum nomen literarum monumentis conseruari  
(ne intereant) uiderem, facile eos homines perbeatos esse  
duxī, qui literarum cognitione aliqua singulari, atq; ex-  
cellenti præstarent, eos uerò, qui hanc contempserunt, nō  
ita de communi hominum societate benemeritos existimaui,  
Studijs igitur literarum iam inde ab ineunte pueritia sem-  
per operam egregiam nauani, & licet adolescentia, quæ  
ratione res non perpendit, paululum hæc mihi studia, ut  
alijs plerisq; euenisse audimus, retardarit, me tamen ope-  
ræ, penè infinitæ, quam studijs impendi, & progressio-  
nis, quam in ijs feci, Regienses non pœnitent, nam ita po-  
litiores literas profitentibus adhæsi, ut ab ijs, tanquam  
umbra à corpore nunquam discedendum putarim: literas  
quasdam sordidas, ac lutulentas, qui profiterentur, eos  
semper cane peius, & angue, ut Horatius inquit, ut an-



dos mihi opinatus sum: neq; enim uestrum quenquam latere  
 arbitror Regienses, non unum esse literarum genus, nec  
 pari honore dignos uideri, qui literas, ut olim Gorgias,  
 atq; Isocrates docere se pollicentur: alij enim eas è puris  
 fontibus hauserūt, alij è fœdis quibusdam stagnis sumpse-  
 runt: quod non hominibus dumtaxat nostratibus euenit,  
 sed omnibus sæculis accidisse legimus, nam literæ, ut aliæ  
 res humanæ omnes suum ortum incrementū, atq; occasum  
 habuerunt: primus omnium latinæ literas Romæ, ut do-  
 ceret, Carbilus ludū aperuit, ut in Problematibus Plu-  
 tarchus grauissimus author testatum reliquit: neq; tamen  
 perfectus Scriptor fuisse traditur, eius enim oratio Fau-  
 nos, & priscam illam antiquitatem nimium redolebat, nec  
 uerò Porcius Cato in originibus suis politior, & splen-  
 didior extitit, quem asperis, ac nimium priscis locutionibus  
 usum perhibent, adhuc enim huius ætate latina lingua pe-  
 nē infans erat, qualem enim Agrippæ Menenij oratio-  
 nem fuisse, qua ille plebem, quæ ob patritiorum crudelita-  
 tem in montes ex urbe secesserat, in urbem iterum reuoca-  
 uit, suspicari debemus? nimirum is rigidus, atq; asper  
 Scriptor, cum nondum latinæ literæ eius sæculo expolitæ  
 fuissent, à doctis uiris appellatur: idem de Romanis alijs  
 sentiendum, qui in ea tempora, in quibus latina lingua nõ-  
 dum florebat, inciderunt: nam quid de Græcis hominibus  
 dicam? qui græca lingua nõ expolita propter uetustatem

molitencia



usi sunt? inter hos iure quispiam Solonem, & Tyrtaeum,  
Athenienses, Lycurgum Lacedaemoniū, & alios quā-  
plurimos collocabit, quorum orationes, & poemata nullo  
aut flore, aut nitore elucebant, scripta enim naturā ipsam  
omnium rerum parentem, atq; altricem imitantur, nam et  
ea quae à natura eduntur, ut fructus omnes, primum quidē  
perfecta non iudicantur, mox uerò cum aliquid spatij, &  
temporis accesserit sic perpoliri ea uidemus, ut nihil esse  
possit absolutius. Quaedam igitur multos post annos ela-  
psos tandem aetas consecuta est, qua lingua latina decus,  
& splendorem ab excellentibus ingenijs tanquam à sole  
& sideribus quibusdam accepit, Barbaries ex Italiae fi-  
nibus eiecta, atq; exterminata in desertas terras abiit,  
sordes illas omnes, quas antiquitas adhuc rudis inuexerat  
latinae literae iam politiores, exuerant, & iam ut cum ma-  
xime florebant, seseq; penitus, ut nulla esset amplius Bar-  
barorum uis extimescenda, corroborauerant: tum factus  
quidam fuit doctorū hominum uberrimus, qui pro linguae  
latinae honestate, et amplitudine scriptis illustribus quo-  
tidie depugnabant: quid enim ego uobis fontem illum elo-  
quentiae Ciceronem? quid Sallustium? quid L. Crassum?  
M. Antonium? Q. Hortensium, M. Brutum nominē?  
quid alios complures referam? qui priscam illam asperi-  
tatem à latina lingua depulerunt? noua lumina, nouos le-  
pores, nouas delicias induxerunt? sic apud Græcos De-  
mosthenes



mosthenes, Aeschines, Isocrates, Lysias nouæ cuiusdam  
linguæ, quæ purior habita est, assertores extiterunt: nihil  
tum latina lingua, ut de nostris loquamur, esse poterat il-  
lustrius, homine eloquente nihil admirabilius, indocto atq;  
imperito nihil stultius: & hoc fuit linguæ Romanæ incre-  
mentum, quæ tum suas opes latius etiam diffudit, neq; enim  
intra Urbis muros duntaxat suos explicuerat thesauros,  
sed cunctam etiam Italiam suis opibus refererat: hinc  
Veronensis Catullus, Venusinus Horatius, in Peli-  
gnis ortus poeta Ouidius, Mantuæ demum natus Vir-  
gilius Romanam linguam omni genere dicendi locuple-  
torem reddiderunt, multisq; orationis luminibus illustra-  
runt. Sed, ut est omnium humanarum rerum commune fa-  
tum, tota hæc latinæ linguæ dignitas aliquando collapsa  
est, omnis eius flos, quod sine maximo animi mœrore re-  
ferre non possum, exaruit. Nam postquã Romam Ty-  
ranni inuaserunt, & libertas Reipub. concidit, nullis fo-  
rum, in quo ante eloquentissimi Viri, quasi quodam in cur-  
riculo eloquentiam dicendo aluerant, patere cepit, clausa  
Romanis oratoribus curia, clausa officina eloquêticæ est:  
sic latina lingua paulatim defloruit, dum multis tandem  
prætereuntibus sæculis bello Gothico penitus contabuit,  
hic enim eius occasus fuisse commemoratur: sed tamen pul-  
cherrime res demum successit: nam ea rursus benigno  
quodam, & fausto cæli sidere reparari, & reuiuiscere



patrum nostrorum aetate & uirtute cepit. Exorti in Italia fuerunt non nulli, qui tanquam Imperatores fortiter pugnando eam a seruitute Barbarorum eriperunt, rursusque in pristinam libertatem uindictarunt: sed si qua fuit Urbs in Italia, quae ob reparatam latinam linguam immortalis digna laude uideatur, uestra ego Urbi Regienses praecipuam laudem tribuerim: apud quos enim latinae litterae, ut de graecis taceam, honorificentius, quam apud Vos flourerunt? non ne in hac urbe, in sinu & gremio Bernardini Suauij doctissimi uiri uixerunt? non ne ab optimo illo sene culturae, atque educatae sunt? cui uel hanc ipsam ob causam Statuae ut patri patriae erigi deberent: quod non ambitione aliqua a me dictum uideri uelim, quod eum ego praecceptorem nactus fuerim, nam eundem plerique uestrum doctissimi uiri in literis duces secuti estis: uos igitur testes doctrinae, quam in Bernardino Suauio fuisse contendo, omnes adhibeo: ueniat uobis in mentem doctissimi praecceptoris, qui nisi in hac urbe uixisset, nullas litterarum reliquias inter ciues haberemus: cum illo litterae uiguerunt, cum illo postquam ex hac uita excessit, interierunt: quam iacturam, & periculum cum praestantissimi huius ciuitatis Viri, qui ad gubernacula Reip. sedent, aperte perspexissent, doctissimos Lectores ex alijs urbibus Regium iam ante etiam acciuerunt, & conduxerunt: ut latinam linguam, quasi a sepulchro ad uitam, reuocarent: ex his Ponticus, Rho-



diginius Cælius, Bassianus Landus, Gerardus Iustus,  
 Ambrosius, Sebastianus Corradus, qui primas latinæ  
 linguæ obtinet partes, Petrus Bargæus, extiterunt: &  
 nunc in hoc Gymnasio publico Franciscus Luisinus, uir  
 græce & latine eruditissimus, profitetur: cuius doctrinã,  
 atq; elegantiam, tum eius scripta publicis typis excusa, tũ  
 ea quæ quotidie edit et componit, facile testatur: huius ego  
 fama, quæ per uniuersam Italiam diffusa est, accensus, in  
 hanc urbem græcarum literarum in primis studio me cõ  
 tuli: cum superioribus annis Guastallæ in oppidio circum  
 padano publice docuerim, Luisinus me Lector suum uicari  
 um constituit, ut unã cũ eo in uestrorum liberorum disci  
 plinã incumbam: quare meam ego uobis operam, & stu  
 dium, atq; industriam eam fore polliceor, ut uestri in stu  
 dijs filij maximam breui tempore progressionem facturi  
 sint: neq; enim dubium est, quin, cum ego pro uirili parte  
 noctesq; diesq; elaboraturus sim, ut uestrorum filiorum  
 studia proueham: uestra, quæ de me cõcepta erit,  
 opinioni satisficiam: nam & uos ea a me  
 qua ab homine non diuino proficisci  
 possunt, expectabitis, & ego o  
 peram in liberis uestris do  
 cendis libentissimo ani  
 mo impendam.

Dixi.

B ij



# IACOBI VASTII ROSCII

De *Armorum & Literarum* compa-  
ratione, Oratio, ad *Regienses*.



**M**IR. *IR. MIR* Vos certò scio, ut nihil mihi exploratus sit, Iudices æquissimi, Prætor, & *Antiani* clarissimi, Vosq; alij ornatissimi Viri, qui frequentes hoc in *Gymnasium*, ut mihi dicenti adessetis, hodie convenistis. Quòd ego, qui in literis minus excellam, & armorum me nunquam studio addixerim, uobis audientibus de armorum, & literarum comparatione, dicere ausus sim: si meam tamen excusationem libentissimis animis audietis, quod in spem uenio fore, cum mihi uestra singularis humanitas cognita sit, & perspecta, non uereor, quin nulla mihi apud uos stultitiæ nota iniratur, nulla omnino ob temeritatis, audaciæq; crimen inuidia consletur: nam multi sæpe uiri, tum *Romæ*, tum *Athenis* de ijs rebus orationem in *Senatu* habuerunt, quarum pertenui cognitione ualuerunt: nam *Philonem Athenis* de re nauali copiose, ornateq; dixisse accepimus, cuius nullam sane, aut perexiguam peritiam adeptus erat: & *Marcus Tullius Romæ* nobilissimus Orator, nõ ita bonus Imperator, de re militari, de *Mitridatico bello*, de Imperatore optimo deligendo,



7  
eunctis ciuibus audientibus plenā, & copiosam orationem  
habere non dubitauit: fieri enim potest, ut ex multorum  
sermone rerum cognitionem assequamur, quod mihi plane  
euenit: nam in literis latinis sub Bernardino Suauio, mor-  
tuo illo, statim sub Sebastiano Corrado, postremo in li-  
teris graecis sub Francisco Luisino, quibus uiris uestra ci-  
uitas doctiores homines non habuit, tantum quidem profe-  
cti, quantū incredibili studio, industriaq; proficere licuit:  
tum uerò assidua, accurataq; librorum lectione, quid de  
armorum studio sentirem, facile equidem ex historijs uete-  
rum percipere, atq; intelligere potui. Hodie igitur apud  
Nos Regienses de armorum, & literarum dignitate di-  
cere constitui: ut quantum armis litera antecellant, me di-  
cente omnes animaduertant. Vos interim oro, atq; ob-  
testor Regienses, ut qua haecenus attentione, mea uerba  
excepistis, eadem ea omnia, quae cōmemoranda mihi oc-  
currerunt, antequam hanc in harenam, atq; a deo uestrū  
in grauisimū conspectum prodirem, audire omnes uelitis:  
non enim de lana caprae, aut de asini umbra, ut in prouer-  
bijs ueterum est, me uerba facere intelligetis: sed altissima  
& nobilissima in quaestione, quae doctissimum & fortis-  
simorum hominum animos ab orbe conuoluit, uersan-  
tem: ut uobis genus aliquod delectationis exquisitus affer-  
rem, animaduertetis, & meam fortasse in dustriam, quae  
sane tenuis est, grauisimo uestro iudicio damnandam non



existimabitis. Ego uero unde initium orationis sumam a-  
nimum pendens, atque anceps prorsus ignoro, quo me uertam  
nescio: ita multis aduersariorum, qui arma literis præpo-  
nunt argumentis distineor, atque distringor: Audendum  
tamen est in causa præsertim æquissima, cum uos mihi Re-  
gienses Areopagitæ, id est iustissimi, & sapientissimi iu-  
dices contigeritis. Nam quod aduersarij iactant, mul-  
toque uerborum fastu nobis obiectant, armis potentissimas  
urbes expugnari, florentissima imperia debellari; nos  
quidem ab incepto non deterret, cum id non ad laudem,  
sed ad probrum potius, si recte res perpenditur, spectet.  
nemo enim unquam modicis opibus non contentus, alias  
appetuit, ut suas amplificaret, qui auaritia non arserit, qui  
crudelitate quadam immani præditus non fuerit: ergo ar-  
ma auarissimorum, & crudelissimorum hominum instru-  
menta sunt, quibus illi suas libidines expleant, innocentes  
populos affligant, antiquarum urbium libertatem oppri-  
mant: non enim de ijs loquor, qui ut hostiles iniurias a se ar-  
ceant, & depellant, arma capere coguntur, qui tamen  
hæc non efficerent, nisi prius hostes armis septi eorum o-  
cium, et pacem perturbassent: non ne melius, atque honestius  
uideatur, quod nobis homines sanctissimi optimis legibus  
præceperunt, naturam ducem sequi: modicas opes, ut olim  
Curius, & Menenius: & post hos uere Christiani Pro-  
ceres, & Diui Franciscus, Dominicus, Antonius, alijs



fecerunt expetere, quæ uere aurea uita si ageretur, ar-  
 morum studium inane, & superuacaneū haberetur. Primi  
 omnium hominum Ninus Babyloniorum Rex, & uexores  
 Aegyptiorum, Tanais Scytharum Reges pacatis, &  
 quietis gentibus bella, ut in historijs testis est Iustinus, intul-  
 erunt: Ninus enim ad Lybiæ fines rudes ad resistendum  
 populos perdomuit: Uexores in Pontum usq; arma uictor  
 tulit, Tanais compluribus nationibus debellatis perpetua  
 quadam uictoria ad Aegyptum peruenit. horum Regū  
 tempestate regiones insolitis bellis arserunt, urbes dire-  
 ptæ, atq; incensæ fuerunt, leges publicis in iudicijs ui ar-  
 morum oppressæ conticuerunt, iura omnia è foro, Deorū  
 religiones è sanctissimis templis pulsæ exulauerunt, tum  
 ferreum genus hominum exortum est, cui gens aurea, ut  
 Hesiodus poeta inquit, flagitijs territa cessit, & iustitia  
 ipsa cedens, ut Aratus ait, in cælum euolauit: ante hos  
 Reges, quos nominauimus, urbes legibus pace, tranquil-  
 litate floruerunt, & sine armis beatissimum quasi æuum,  
 egerunt: arma igitur ad bene, beateq; uiuendum necessā-  
 ria non sunt, ut ne expetenda quidem esse ei uideantur, qui  
 uitam cum officio coniungere decreuerit. At dicit quis-  
 piam Dei optimi maximi sepulchrum, & regio, ubi ille,  
 ut nostra flagitia cruore elueret, moriens animā efflauit,  
 ab impijs gentibus, à latronibus immanissimis, ab impro-  
 bissimis archipiratis tenetur, hæc armis redimenda sunt



non eloquentissimorum hominum oratione repetenda: cui  
ego facile qua ratione respondeam comperi, nam maiores  
nostri ut hæc efficerent, uictores *Asiam* armis occupa-  
runt: & uir fortissimus *Gotifredus Solymarum Rex* à no-  
stris constitutus diutius regnauit: nunc uerò, proh dolor,  
proh scælus, *Asia* iterum, & *Solymæ Turcharum* im-  
perio tenentur: quia maiores nostri, quibus Deus op. max.  
ut *Asiæ Imperium* redimeretur, affuerat; Deorum nu-  
mine abusi, fædisimis inter se discor dijs, & seditionibus  
certarunt: & dum inter se mutuis uulneribus digladiâtur,  
nobilissimam terrarum orbis partem amiserunt: hoc enim  
armis, & ferreis hominibus insitum, atq; innatum est, ut  
rationem appetitu, leges libidine, pietatem immanitate  
opprimant: quid prodest igitur impijs nationibus inferre  
bellum? si uictoria mox arma in nos ipsos conuertimus? si  
armis nihil prorsus rationis inest? quasi uero, nisi bella,  
& studium armorû exitisset, *Turcæ Asiâ*, & *Christi*  
*sepulchrum* occupassent. *Antigonus* *Syriæ Rex*, quam  
procul æquitas ab armis exulet, suo ipse exemplo docuit:  
nam cum ei bellum gerenti, *Sophista* quidam de iustitia li-  
brum obtulisset, mihi inquit *Philosophe* nimirum *stultus* ui-  
deris, qui iustitiæ ijs antiquissimam esse curam arbitraris,  
qui armatis cohortibus cincti alienas urbes aggrediuntur:  
at si iustitiam arma respuunt, cur ea omni studio exerce-  
mus, atq; amplexamur? cur non ea potius ut malum auspi-  
cium



9  
rium uitamus? atq; ab ijs abhorremus? quando, ut C.  
Marius aiebat, leges inter arma non audiuntur. præcla-  
rum, ac prope diuinum facinus est, patriam armis hostium  
circumentam, armatorum ciuium uiribus, & fortissimo-  
rum hominum præsidio tutari: seruitutem, quam nostris ho-  
stis ceruicibus minatur, excutere: impetum audacissimorū  
hostium frangere: quæ M. Marcellus omnia cū Nolam  
ab impetu Annibalis defenderet, olī præstitisse uidetur:  
& Alfonso uester inclytus Princeps Regienses, cum  
Ferrariam amplissimam, atq; opulentissimam Urbem à  
Iulij II Pont. Max. & Venetorum armis tueretur: suo  
exemplo comprobauit, sed inanis omnis uel iusta defensio  
esset, nisi tibi prius ab hoste uis illata difficillimo tempore  
foret. quare bella penitus damnanda et fugiēda putarim,  
quod Dei Opt. Max. Filius, cum apud nos in terris de-  
geret, perspicue indicauit: ille enim cū cælum ascensurus  
esset, Discipulis, et Comitibus suis pacem abiens, non bel-  
lum reliquit: pacem, inquit, meam uobis relinquo: ô igitur  
diuinam, ac uere beatā pacem: ô impia, & scelerata bel-  
la, quibus omnia dissipantur, dilabuntur, disijciuntur: uos  
Deus ipse Opt. Max. detestatus est, & pacem omnibus  
uotis expetendam iudicauit: uobis secunda, & florentes  
ante res deflorescunt, ac diminuuntur: pace omnia uigent,  
omnia florent, ac corroborantur: uos omnia deletis, illa  
omnia recreat, ac reficit, & mærentes homines solatur.



iacentes erigit, atq; attollit, urbes felices, & fortunatas reddit. Dictum est de armis quid omnino sentiam, ac uos omnes sentire Regienses operæ precium sit: nunc de literis dicendum breuiter uidetur, nam quemadmodum arma hominibus pestem afferre, nihilq; iusti perferre, & pati docuimus: sic è literis, tanquã è fonte, bona omnia diffluere, ac deriuari comprobabimus: harum præcipuæ, insignioresq; partes, Iuri Ciuili, Medicinæ, & Philosophiæ tribuuntur: aliæ etiam artes, & disciplinæ, quæ literis continentur, eximia, & decoræ sunt. Iure igitur Ciuili quid Urbibus utilius esse, & honestius potest? cum iniuriæ omnes improbissimorum hominum Ciuili Iure arceantur? quod nisi nobis à Deo Opt. Max. tributum esset, innocentiam bonorum, improbitas hominum perditissimorum affligeret, hoc florētissimæ Respub. hoc amplissima Regna administrantur: & ego permultos huius ciuitatis clarissimos Iurisconsultos appellare possẽm, qui è patria, tanquam ex Equo Troiano exeuntes, nobilissimis Urbibus summa cum laude præfuerunt. Medicina Apollinis, non mortalium ingenio inuenta literas mirum in modum cõdecorat, cuius mihi rei hæc sane ciuitas testis est, quæ doctissimos: peritissimosq; Medicos peperit: Medicum unũ, ait Homerus, multis hominibus præstantiorem esse: hinc ueteres Aesculapium medicinæ cognitione florentem in Deorum numerum retulerunt. Philosophia uerò quid di-



10  
uinius excogitari potest? cū Plato ille diuinus beatissimas  
eas urbes existimet, quæ à philosophis Principibus regā-  
tur. Quid Architecturam, Astrologiam, Agriculturam nominem? quæ literis nobis à maioribus nostris tra-  
ditæ, & consignatæ sunt. Diuinæ ipsæ leges, quas nobis  
Deus Op. Max. ut pie uiueremus, præscripsit: nisi literæ  
forent, deletæ tot sæculis perijissent: ergo literis tota homi-  
num uita ornatur. Quid enim de Rhetorice, Oratoriaq;  
arte dicam? quæ tanquam clarissimum lumen literas illu-  
strat, & mentes hominum in omnes partes, mirabili quo-  
dam, & diuino artificio flectit: unde illam Ennius suadã  
quod omnia persuadeat, appellauit: maximus ille Græco-  
rum Rex Agamemnon dicere solebat, cū illum omnes  
dicentem suspicerent: Malle se decem Nestores, quam  
Aiaces decem habere: quibus uerbis fortissimis uiris lite-  
ratos, & eloquentes anteposuit: Nestor enim mirificus  
Orator existimatus est: cuius ab ore, ut ait Homerus,  
melle dulcior fluebat oratio. Vestra Vrbs Regienses,  
eloquentiæ semper hospitalis habitata est, in qua doctissimi,  
& eloquentissimi semper Lectores superioribus annis flo-  
ruerunt: qui in hac Vrbe græcas, et latinas literas publi-  
ce docuerunt, quamobrem nullum unquam laudum genus,  
uel exquisitum inuenietur, quo uestra merita, Regienses,  
æquari, & compensari possint: nulla unquam sæcula huius  
ciuitatis liberalitatem conticescent, neque uos in ingra-



tos homines benefici extitistis. qui diuinas, atq; immortales  
uestras uirtutes scriptis non celebrarint suis, Vos duo cla-  
rissimi Lectores, commentarijs suis, in cælum tulerunt: nã  
Sebastianus Corradus, dũ Epistolas Ciceronis ad At-  
ticum interpretatur, istius Urbis mentionem grato animo  
facit: & Franciscus Luisinus suis in Poeticen Horatii  
commentarijs, Vos immortalibus præconijs ut præstantis-  
simos uiros uehementer extollit, ac celebrat. Horum ego  
Virorum in uos beneuolentiæ, Regienses, cedendum mihi  
non arbitror, quando ego quoq; uestro ære publico condu-  
ctus Regiensem Iuuentutem literis ornandam suscepi: non  
ego ullam in eo munere sustinendo quietem posco; illud unũ  
à uestra liberalitate expetendũ mihi putauĩ, ut mihi annuũ  
stipendiu in aliqua numerum accessione augeatis, si ego  
manibus (ut aiunt) pedibusq; in liberorum uestrorum disci-  
plinam incumbo: quod si impetrari à uobis difficillimo  
ærarij tempore non potest, non ego iccirco ab eo munere  
tuendo, quod mihi à uobis adscriptum est, desistam: imo  
ego, dum uiuam, uestris semper imperijs obse-  
quar, uestrum semper nutum obser-  
uabo, meam uobis operam  
omni tempore ad-  
dicam; &  
mei me potius ipsius, quàm uestre eximie in me  
liberalitatis obliuio capiet. Dixi.



IACOBI NASTII ROSCII  
IACOBVS VASTIVS ROSCIVS

IOANNI CASTELLARANO. S. P. D.



VM dolorem, siue potiùs iram, quæ me multos dies male habet, postquam te meam fortunam leui incendio, quod ex palea oritur, similem futuram dixisse intellexi, tibi his literis non dissimulandum existimaui. uehementer enim mirari soleo, quid sit, quamobrem tu, qui etate iam prouectior es, & diurno rerum usu excellere debes, nondum hoc senseris: nihil esse optimis, doctissimisq; uiris antiquius, quam ut ipsi eam fortunam, quæ ijs fato contigit, æquissimo serant animo, alijs pari, aut etiam meliore fortuna florentibus non inuideant, nullam unquam molestiam exhibeant.

Ignis, qui ex palea relaxit, temporis eodem ferme articulo extinguitur, sic tu abis meam hanc fortunam, quæ sanè pertenuis est, breui tempore interituram, quid mihi queso nihil de te male merito tam fædè ominaris? quid te mihi immerenti inimicissimum, & grauissimum, omnibusq; in rebus infestum præbes? Senes, qui cum officio nitam coniunxerunt, Iuuenibus, qui egregiam, aut certè aliquam de se opinionem concitarunt, fautores adesse solent, eorum spem alunt, & longius fauentes prouehunt: at tu me uix dum mari uela pandentem, uix oram soluentem ipso in littore mergere, atq; affligere conaris: qua tandem mea iniuria lacesitus, hoc tibi efficiendum existimasti? ut me tetricis Augurijs tam inimice insequaris? atqui tu non bonus Augures, neque enim diuinaueris: nam mea industria, atque innocentia, tuam inuidiam, & maledicentiam, qua me suffusus odisti, facile contemnam, Dij faxint, ut tu te tandem colligas, ne graui isto inuidiæ morbo, diutiùs labores.

Vale.



pos tantum quidem adipiscar, ut humaniorum literarum ornamentis decoratus, Ciuii iuri, uel Medicinæ dare operam cōmodissime possim: quare ego illi tantum quidem me debere fatebor, quantum se Aristoteli Alexander debere aiebat: quem parentibus etiam antepone reueritus non est, cum ab ijs hoc tantū ut esset, accepisset: ab Aristotele uero, idest, a magistro rationem bene, ac beate uiuendi, quemadmodum aiebat, summo Philosopho, operā nauans percepisset: sic igitur mecum præclare, ut spero, agetur; et me Regium uenisse nullo unquam tempore pænitebit: hic. n. Dijs immortalibus rem, studiumq; meum approbantibus, ea demum uirtutis bona consecutus, in patriā reuertar: quæ naufragio, ut dicebat Aristippus, amitti, aut labefactari, turbulentissimisque procellis, ac tempestatibus obrui, ac deleri non possunt. Sed tamen, ut uere animi sensum eloquar, nunquam me cumulate noti compotem esse Regienses affirmabo, nisi uestra in urbe uirum doctissimū omnibusq; numeris, si fieri poterit, absolutum: ære publico publice docentē uidero, quales ij profecto fuisse Lectores in uestra ciuitate perhibētur, qui hoc in Gymnasio floruisse superioribus annis cōmemorantur. Hoc huic urbi non solū utilitatem allaturum, sed etiam ornamento futurum: uos pro uestra eximia, ac singulari prudentia facile intelligere, ac statuere poteritis: si rem attente, ac diligenter, ut rei ipsius dignitas postulat, perpendetis. Has ego duas  
partes



13

partes, idest, utilitatem, & gloriam, uestræ Reip. quæ  
à Lectore huc ære publico accersito, uobis enascentur,  
multis quidem rationibus, quas sanè uos etiam non ignora-  
tis, comprobare mihi omnino posse Regienses uideor: nã  
si sine literis humanæ uitæ cultus, usq; nitere, ac splen-  
descere non potest: si literæ communes, hominum actiones  
testatur: si nostras res gestas, & fortia clarissimorũ Im-  
peratorum facta immortalitati cõmendant: si nulla unquã  
sæcula de nobis, omnibusq; ijs, qui uitã cũ officio cõiunxe-  
runt, cõitescere patiuntur: quin illæ in Rep. bene, sancteq;  
instituta, atq; in optima ciuitate retinendæ sint, nemo, ut  
opinor, est, qui inficias ire audeat, qui literarum beneficiũ  
illustremq; gratiam respuat, atq; aspernetur: si igitur li-  
terarũ studia amplexanda sunt, peritis Doctoribus, atq;  
excellentibus, qui literas facile, et præclare doceant opus  
esse: nemo est tam improbus, rerumq; omnium ignarus, qui  
fateri uereatur, hi uero nimirum Lectores sunt, idest, uiri  
quidam ita literarum cognitione præstantes, ut nullis ple-  
bæis ineptijs ridiculi, sed uere Romanis Atticisq; literis  
præditi iudicentur: nam si summi, & clarissimi artifices in  
reliquis artibus omnibus perdiscendis requiruntur, cur ij-  
dem in literis, quibus nihil in cõmuni hominum uita splendi-  
dius, minus sit efficiendum non equidem uideo. Alexander  
ille Macedo ab Apelle tantum pingi, & à Lysip-  
po fingi uoluit: uulgares Pictores, Sculptoresq; omnes



reiecit, excellentes tantum magistros adhibuit: quod si ille  
in pictura, sculpturaq; præclare fecisse posteris uisus est,  
quæ sane non ita longo temporis interuallo labefactantur,  
ac corruptæ delentur, quid de ijs doctoribus dicendû Re  
gienses existimatis? qui literas, quæ temporis uim superât,  
quæ nos post obitum immortales reddunt, celeberrimis in  
locis Urbium summa omnium admiratione profitentur?  
Enim uero id in literis præsertim colendis obseruandum  
iudicabitis, ut præstantiores, excellentioresq; Magistri,  
idest, Lectores, deligantur, mediocres colantur quidem.  
sed tamen summo loco, & supremo in Gymnasio non cõsti  
tuantur: id si faciendum Senatûsconsulto Regienses decer  
netis, uix quicquam unquam salutaris, & uestræ Reip.  
conducibilis statueritis: sic. n. bonas, florentes, uera s; q;  
literas peregrinantes quasi hospitio liberalissime excipie  
tis: Eas uestri liberi, studiosa Iuuentus discet: tota ciuitas  
callebit: eloquentia apud nos florebit, reuiuiscet, uigebit:  
falsæ literæ, quasi meretriculæ, eijcientur, atq; exploden  
tur. Dictum est de utilitate, quam huic urbi Lectores af  
ferunt: nunc de dignitate, & gloria, qua Lectoribus hic  
latinæ, græcæq; literas profitentibus. Urbs uestra Re  
gienses extollitur, dicendum est, in quo inuidiam mihi à do  
ctis Magistris, qui Regij priuatim docent, constari no  
lim: nam licet Lectores exoptem, priuatos tamen Magi  
stros non contemno: neq; enim mihi ignotum est, optimos



16  
Grammaticos literarum quasi officinam in hac urbe aperuisse: attamen uobis & gloriosius, & (ut ingenue loquar) cōmodius Regienses est, ut Lectores in aula, scholaq; publica politissimas literas edoceant: ut uos ipsi, & hospites, qui quotidie uestram urbem adeunt, eloquentiam liberalissime, atq; honorificentissime tractari, et celebrari in hac urbe uideant: nam, ut priuatis magistris suam laudē non adimam, quis publicis aliquot Lectoribus melius unquam de re literaria promeritus est? quis Bastiano melius barbariem uicit, ac profligauit? quis Corrado Ciceronē subtilius, & historias persequutus est? quis Bargeo facundior in hac urbe dixit? quis Luisino felicius græca cū latinis coniunxit? omitto aliorum Lectorum laudes, ne nimis uobis in re ista uidear: illud tantum dicam liberius, nō esse gloriam, quam uos ipsi post maiores uestros huic urbi comparastis, omnino negligendam: quid hospites, quid ciues, quid Studiosos eloquentiæ adolescentes, cū nullum hic Lectorē uideāt dicturos iā arbitrāmini? eloquentiam hinc pulsam, ubi olim felicissime floruerat, queruntur: uestra Senatusconsulta uotis omnibus exoptant: quibus Lector, aliquis eruditus in publicum Gymnasium uocetur, ut alias Italiæ urbes, uos etiam hac ratione, cum alijs rebus, cōsilio, autoritate, dignitate pares sitis, imitemini: circumspicite uniuersam Italiā, qua Tyrreno, Adriaticōq; mari alluitur, qua montibus altissimis clauditur, paucas



omnino urbes inuenietis, quæ suos adolescentes ab excellentibus Lectoribus erudiri non curarint: multi enim mihi credite adolēscētes sunt, robustiores iuuenes, qui ad priuatos Magistros quominus se conferant, pudore quodam deterrēntur, qui ad Lectorem audiendum properabunt, & quod adepti in studijs sunt, dilabi, atq; obliuione sibi, intermissioneq; deperdi non patientur: in hanc igitur curā Regienses amplissimi incumbite, ut uestræ urbis utilitati ac dignitati consulatis: nihil fere à uobis statui laudabilius potest, nihil decerni, quod magis sempiternam uobis famā, & gloriam comparet, agitur de adolescentum disciplina: qui nisi tenera ætate præclare ad uirtutem conformantur, cum uiri, cum senes erunt, lapsos frustra annos, atq; annorum florem dolebunt: uos nunc Patres optimi pulcherimam occasionem ne dimittite, uestrorum liberorum fortunis consulite, rationibus cauete, temporibus prospicite.

Vestram urbem Hercules Princeps mænibus, ac propugnaculis ab hostibus tutam reddidit, uos eam doctissimo Lectore accersito à Barbarie securam, intactāq; defendite: ut literæ apud uos suo quasi in domicilio conspiciantur: diligenter operam nauate, id uos si effeceritis, uestrum nomen, non solum hæc ætas, sed omnis plane posteritas suspiciet, ac mirabitur. Dixi.



ANT 15461



